

nihil adjuventi ad id conferat agens aut patiens, quod tunc fit, quando patientis voluntas à tali motu abhorret, nec ad illud activè, sed potius passivè concurrit, & virium propter defectum resistere non valet, quantumvis renitatur. Ita violentum est, quando turbine venti navis in syrtes abripitur, aut scopulis illiditur. Sic Zedekia Regi oculi violenter effodiebantur, & captivus in Babyloniam agebatur Jerem. 52. vers. 11. Quod si motus principium extrà quidem sit, conferat tamen quis voluntatem, violentus ille non est, ut cum quis curru volens vehitur. Ubi enim voluntas intercedit, ibi non est invitum: ubi invitum non est, ibi nec violentum.

5. Circa invitum per ignorantiam Philosophus quibusdam utitur distinctionibus. I. Actio propter ignorantiam interdum est ἀπλυσθὲς καὶ ἐν μεταμέλειᾳ hoc est, eam sequitur dolor & poenitentia, ut si quis interficiat aliquem, quem hostem esse existimaverat, postea verò resciscat filium esse, & inde doleat. Interdum eam non sequitur dolor, ut si quis pro plumbo sibi debito accipiat argentum existimans esse plumbum, & posteaquam cognovit argentum esse, latetur. Qui hoc modo ex ignorantia agit, is non quidem agit ἐκῶν, Sponte, quia ignorat id, quod agit, nec ἄκων, invitus, cum non sequatur poenitentia, sed οὐκ ἐκῶν, non sponte, nomine generali ad speciem traducto.

6. II. Differunt, aliquem per ignorantiam agere & ignorantem agere. Ex inscitia agere (explicante Picol. grad. 2. s. 12.) est, quando ipsa inscitia est princeps causa, ut id agamus, & nisi adesset ea, non ageremus. Inscientem autem agere est communius. Omnis enim qui agit per inscitiam, est inscius, at non contrà: veluti qui per iram, per ebrietatem, per vitium aliquid agunt, inscijs quidem sunt, non tamen per inscitiam id faciunt, sed vitioso affectu mentis aciem pervertente vel obumbrante, ut non deceptio perturbationis & vitij, sed contrà perturbatio & vitium sint deceptio causa. hæc ille.

7. III. Alia est ignorantia universalis, quò referri potest ignorantia τῆς συμφέροντος, ut si quis ignoret, adulterium
non